33

PROPOSITIO, ET FACTI RESOlutio, ex Belgica Prouincia transmissa, & in hac inclita Hispalensi ciuitate iterum visa, & resoluta.

FACTVM EST TALE.



ITIVS Canonicus Collegiatæ Eclesiæ, ordinatus ad ordines sacros, titulo dicti Canonicatus, existens in ęre alieno, resignauit suum canonicatum Sempronio; reseruata tamen annua pensione ducentorum ducatorum de Camera: qui quidem secundùm communem valorem, vix vel ad summum possunt constituere summam octingentorum florenorum, harum partium, id est, quatuor florenos pro quolibet ducato numerandos Nihilominus dictus Sempronius, seu eius Procuratores obligauerũt se per Chyrographũ versus dictum Titium, quòd persoluent ipsi pensionem annuam mille florenorum, id est, quinque florenos pro quolibet ducato numerandos: etiamsi in Bullis Apostolicis simpliciter summa ducentorum ducatorum exprimatur. Insuper dictus Titius consensit cassationi dictæ pensionis, & recipisse quitantiam, qua Sempronium deinceps ab onere eam persoluendi liberat subscripsit: quamuis maiorem summam dictarum pecuniarum realiter non receperit, sed tantũ Sempronius erga aliquos Titij creditores spopondit se illos soluturos, dum dicti Canonicatus adeptus fuerit possessionẽ. Concilium arcanum Regis recusat Sempronio concedere solitum placitum, & litteræ Apostolicæ executioni demandari. Renuẽtibus creditoribus dicti Titij, qui Regi per libellum supplicem exposuerunt, se de solutione pecuniarum sibi debitarum omnino desperare, si Titius suo Canonicatu priuetur; quandoquidem alijs medijs careat, quibus etiam intercedente temporis lapsu, creditoribus suis posit facere satis. Quæritur. Vtrùm non expediret Concilium Regis, ad

quem spectat totius populi curam gerere, ac quantùm in se habet vnumquemque in suis iuribus tueri, per absolutã dicti placiti recusationem, similes abusus, & corruptelas auertere, maximè cùm dictus Sempronius omnino inhabiles ad dictam præbendam vnquam assequendam probetur, ob non expressionem veri valoris pensionis in Bullis Apostolicis contentæ, vt patet ex supradicto Chyrographo, seu illicita pactione, & impetratio ipso facto nulla sit obstante clausula; dummodo Titius, qui titulo dicti Canonicatus ordinatus est aliunde habeat vnde commodè, & honestè viuere possit, cũm tamen constet nihil ei superesse ad victum præter dictã pensionem, cuius capitalis nummos longè omnibus insufficientes aliquibus creditoribus, vt præfertur, in solutionem assignauit: attento quod ista clausula, dummodo aliunde habeat, sit conditio, sine qua non. Obstante etiam generalitate creditorum, qui allegant Titium in ære alieno existentem non potuisse ab se abdicare præbendam in ipsorum præiudicium exhibentes separatos, modò in possessione, seu Canonicatus perseueret dictam sibi solutionem ex fructibus, & redditibus dictæ præbendæ paulatim expectare, relicto dicto Titio competenti summa ad commodam, & honestam sui sustentationem, attenta etiam clausula honestè, cum honestè viuere non possit, qui non est soluendo.

Visa superiori facti specie, & dubio super ea proposito, respondebant infrascripti, suam Maiestatem posse absolutè placitum suum recusare dicto Sempronio: & æquitate plenum est, vt id faciat, eoquòd præfatus Titius, vt in themate, & quæstione ponitur, sit in ære alieno, nec habeat aliunde vnde honestè viuere, & satisfacere suis creditoribus possit, quibus aliter satisfieri poterit, & ipse viuere, ex relicta eidem portione competenti, quam creditores offerunt, quibus etiam prouidendum est ne suum amittant, eo etiam addito, quòd in sacris cõstitutus non possit vllo modo suum beneficium resignare, etiamsi ad illius titulum non sit promotus, nisi aliundè habeat, vnde commodè viuere possit, vt habetur in const. Pij V. quam refert Garc. de benef. p. 2. cap. 5. num. 198. & cõstat enim nõ habere vnde possit commodè sustentari in vita, qui creditores ita multos habet, vt eis satisfacere nequeat, l. subsig-

subsignatum, §. 1. ff. de verbor. signific. in qua docetur bona intelligi debere, deducto ære alieno, imò & concedendo placitum, atque eiusdem virtute obtinendo per Sempronium collationem esset eludere eorum actionem, aut eam inanem reddere, paria enim sunt nullam habere actionem, aut eam habere, quæ propter inopiam aduersarij sit inanis, l. ideoq; & seq, ff. de dol. mal. & per hanc viam ius creditorum melius conseruabitur, nam concesso placito ipsi laborarent in suo persequendo, meliusq; est intacta eorum iura seruari, quàm post causam vulneratam remediũ quærere, l. vltim. C. in quibus causis in integrum restitutio, & ad Principis officium pertinet procurare subditorum quietem, & omnem materiã litium, & discordiam amputare, vt habetur in cap. finem litibus, de dol. & contumac. & similibus.

Possetque etiam S. M. moueri ex alijs causis propositis ad denegandum absolutè placitum, nempè quòd dictus Sempronius inhabilis sit, subsitque illicita pactio defensione ducatorum ducentorum de Camera persoluẽda in maiori quãtitate, quàm sit eorum valor, ob quam Titius se proiecit, etiam in periculum amittendi beneficium, ex eo quòd eiusmodi excessus sine superioris authoritate, nudo partium consensu componitur, Clem. 1. §. eidem de suppl. neglig. cap. nisi essent, §. quia igitur, vel non quidem ex pactione partiũ, de præbend. vbi ait, non iuuari vtilem pensionis constitutionem, quia ex ea non adijcitur vinculum, & validitas pactioni mutuæ, nulla reseruatione superioris vallatæ, nihilominus non posset S. M. cognitionem relinquere ex his causis executori Bullarum, aut iudici ordinario, & etiam si causa prima creditorum cessaret subesset ratio, & æquitas denegãdi placitum, ex eo quòd in Bullis habeatur clausula, dummodo Titius, & ex eo quôd pensio est ducentorum ducatorum, quæ summa sufficiens non est ad honestam sustentationem causis supradictis, & decisum est per dictam clausulam, dummodo Titius, &c. non excludi, quia pensio sit pro sustentatione computanda.

HÆC facti series, & doctissima resolutio, quæ ad nos peruenit, prout inseritur, difficile iudicium offert, sed attentè, & studiosè præpensa, supradictis non obstãtibus, salua sapientissimorũ Iuriscõsultorũ pace, nullo modo sequẽdã esse eorũ opinionẽ videbitur, immò contrarium censendum arbitramur, & quod arcanum regiũ minimè potest supplicationis ad Sanctissimum, nec retentionis remedio vti: quia ex duplici capite hoc remedium ei permittitur. Primum, quando litteræ Apostolicæ sunt expeditæ in contrauentionem, vel prȩiudicium Concilij Tridentini. Secundum, quando in ipsamet expeditione Bullarum, vel executione committitur violentia; quia tunc sicuti datur recursus ad regium tribunal. Sic permittitur retentio, & supplicatio ad Sanctissimum: ex latè traditis per Salgadum de regia protect. cap. 1. per totum, & de supplicat. ad Sanctissimum, 1. parte, cap. 7. num. 62. Et ex vtroque capite hæc retentio, & supplicatio minimè potest sustineri, quia híc non datur contrauentio Tridentini. Siquidem Titius spontanè resignauit præbendam, de qua quæritur, pensione reseruata ducatorum ducentorum de Camera, & Summus Pontifex tanquam dominus Beneficiorum resignationem approbauit, & litteras pensionis, & resignationis expediri mandauit. Et hinc infertur quando nulla vis committitur legitimè procedendo, & proprio iure vtendo, & sic non datur materia retentionis, nec supplicationis.

Et quamuis in hac materia dubitetur: Vtrùm præiuditiũ tertij sit iusta retentionis causa, resolutio vera, & certa est; quòd quando ex litterarum executione contra priuatum intentata infertur, atque inducitur damnum aliquod publicũ in detrimentum reipublicæ Christianæ, aut temporalis, tũc habetur pro iusta causa retentionis: & hoc verificatur quando læditur ius naturale; veluti cùm mihi aufertur res propria absque meo consensu, & citatione; quia tunc non præsumitur Principem, me inscio pæriudicare velle: vel quando resultat scandalum in perniciem reipublicæ, vt versatur in litteris expeditis in præiudicium iuris patronatus laicorum: quæ ideo retinentur non quatenus tangunt simpliciter ius tertij, hoc est, patronorum, sed quatenus consecutiuè vergũt

in

in detrimentum, & perniciem reipublicæ ſpiritualis. At verò quando præiuditium tertij eſt leue, remotum, aut incidens, vel in conſequentiam minimè attenditur, nec reputatur pro iuſta retentionis cauſa: vt latè, & in ſpecie diſcutit Salgadus de ſupplicat. ad Sanctiſsimum, 1. parte, cap. 7. per totum, præcipuè num. 62.

Et vt accedamus ad ſpeciem propoſitam, hæc doctrina, & reſolutio bene conuenit; quia ſi conſideramus præiuditiũ ipſius Titij reſignantis, minimè obſtare, nec impedire expeditionem litterarum in Regio Senatu poteſt, quia ipſe Titius non eſt tertius, ſed principalis, qui conſenſit, & reſignauit, & petit idem quod Pontifex conceſsit, & ſemel reſignatione approbata, & litteris expeditis ipſe reſignãs, reſeruata penſione, impedire non poteſt reſignatarium, ne capiat poſſeſsionem beneficij reſignati, nec eſt legitimus cõtradictor, nec committitur attentatum procedendo, non obſtante eius appellatione, vt tradit Flaminius de reſignatione, lib. 10. tom. 1. quæſt. 6, num. 62. & lib. 1. quæſt. 16. num. 36. quia cõſideratur tanquam mortuus, & per reſignationem amittit omne ius, & poſſeſsionem, & non eſt locus pœnitentiæ poſt litterarum expeditionem, tradit ipſe Flaminius lib. 1, quæſt. 12. num. 1. & q. 9. num. 4. & q. 16. num. 3. & q. 5. num. 4, & lib. 9. q. 25. num. 9. & lib. 8. q. 9 num. 15. & dicitur mori in loco vbi fit reſignatio, dicto lib. 9. q. 14. num. 2.

Et ſi conſideramus præiuditium creditorum, hoc minus procedit, quia in beneficio Eccleſiaſtico beneficiarius non habet dominiũ, nec eſt in commertio, nec poteſt obligari, nec hypothecari, & tale præiudicium eſt remotum, & venit in conſequentiam, & incidenter, & conceſſo quòd creditores ius aliquod haberent, minimè poſſunt impedire ius reſignatarij; quia Apoſtolicæ litteræ ſunt executiuæ, & ius creditorum fundatur in præſumpto dolo, vel fraude reſignãtis: quod requirit plenam diſcutionem, & altiorem indaginem, & tendit ad nullitatem reſignationis: & nullitatis exceptio quando non eſt liquida, & clara, non impedit executionem inſtrumenti, nec tertius, qui ſeſe opponit iure illiquido, ad tradita in l. is, à quo, ff, de rei vendicatione. Et minus obſtat dicere quód in relatione ad Sanctiſsimum non fuit expreſſus verus

valor pensionis ; quia hoc minimé constat, nec probatur Chyrographo, quia non fuit factum ab ipso resignatario, sed á quodam tertio, qui ei præiudicare non potuit; maximè quia illa fuit distincta, ac independens conuentio inter resignantem, & alios pro conductione pensionis, & solutione anticipata, vel in alio loco facta, quæ nullam connexitatem habet cum reseruatione pensionis, nec cum resignatione. Tandem vt cumq; sit hæc cognitio, vel discusio minimè expectat ad regium arcanum, quod omnino incapax est cognoscēdi de valore resignationis, & quæ in hunc intentum adduci possunt proponi, & ventilari coram ipso Sanctissimo, vel Ordinario Ecclesiastico debent, qui iudex competens est, & illi quotidie Regius Senatus remittere solet similes, quæstiones & contradictiones, quæ opponuntur in Regia Curia ad impediendam litterarum expeditionem.

His suppositis, non obstant fundamenta in contrarium adducta. Videlicet, dicere, quòd dictus Titius resignans non habeat congruam, quia hoc negatur, & hæc discusio non est huius loci, quia (vt dictum est) ipse resignans consensit, et satis congruè viuere potest cum reseruatione ducentorum ducatorum de camera, vt congruo loco, et tempore demōstrabitur.

Secūdum non obstat dicere, quòd ex eo quod est ære alieno oppressus, non habeat vnde viuere, quia bona non dicuntur nisi deducto ære alieno, quia hoc non procedit in Clerico propter beneficium capitis : Oduardus de solut. quod procedit in præiuditiū creditorum, quorum interesse nō est considerabile, ex supradictis maximè, quia tempore resignationis non erat oppressus, et creditores, qui nunc insurgunt, sunt simulati, et per ipsummet resignantem inducti ad impediendam litterarum expeditionem in Curia, et saltim erant incogniti resignatario, qui bona fide procesit, et hodie læsus, et defraudatus inuenitur.

Tertium, quôd ad Principem pertinet obuiare lites inter subditos. Respondetur, quòd non ex eo debet Princeps impedire executionem Apostolicarum litterarum, et sese immiscere in cognitionē, quæ ad Principem non expectat cum scandalo, et contemptu Sanctissimi rescripti, et eadem ratio

nem

ne, non debet Princeps permittere, vt resignatarius, qui bona fide contraxit, et nullam fraudem commisit iure suo defraudetur, et tam prolixa mora, et litis dilatione grauetur retardãdo in tam graue damnum, et præiuditium rescripti executionem, quod sui natura breuis cognitionis, et expeditionis est.

Vltimum non obstat dicere, quòd verus pensionis valor non fuit expressus, quia huic obiectioni satis remanet satisfactum ex supradictis. Sub censura. Dato in hac inclita Hispalensi ciuitate die 20. Augusti 1641.

Licent. D. Laurentius
Castellus á Gallegos.